Nationali, quæ coacta fuit *anno* 1736. in Monte Libano, quam Literis Apoſtolicis Nos ipſi confirmavimus, *par. 2. cap. 13. de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio can.* 8. ita ſancitum eſt: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra ſaltem duo cum Candelis accenſis hinc & inde in utroque ejus latere.*

De quæſtione an ſufficiat ſuper Altari Crux nuda, vel debeat eſſe cum Crucifixo.

Scriptores, qui ſacros ritus explicarunt, nonnullas diſputationes inſtituunt; ac primo, utrum ſatis ſit nudam Crucem in Altari ſtatuere, an Imago Crucifixi addenda ſimul videatur. Equidem Rubricæ Miſſalis ſolam Crucem commemorant. Cum tamen Cæremoniale Epiſcoporum Crucem una, & Crucifixum nominet, idque communi Eccleſiæ conſuetudini conſentaneum ſit, hanc ideo ſententiam probandam nemo ſapiens dubitabit. Ita ſentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. par. 2. de Sacrificio Miſſæ num.* 218. fatetur, ob veterem communemque uſum, ſine Imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem Divinam fieri non poſſe, niſi neceſſitas intervenerit: Et profecto initio Eccleſiæ, cum Fideles concitare ad furorem Gentilem magnopere timerent, ſi Chriſtum Crucifixum publice adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque inciſum, vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantiſſimi Salvatoris ſemper habitus eſt, ut eo ſaltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent: Id conſpicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Eccleſiis, & teſtimonio etiam Magrii comprobatur *in ejus Hierolexico, in vocabulo* CRUX.

De alia quæſtione an poni debeat Crux, quando in Tabula Altaris eſt depictus Crucifixus.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Altari conſtitui, etiamſi Salvator noſter Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero neceſſarium id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita cenſet Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ quæſt.* 716. Quartus *ad Rubricas Miſſalis par.* 1. *dub.* 10. & Gribaldus *de Sacramentis in tract.* 5. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 20. Huic pariter ſententię ſe conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti conſtat ex reſponſione, quam ipſa promulgavit *anno* 1663., & quam Meratus recenſet *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 20. *de præparatione Altaris n.* 6., & in Indice Decretorum *eodem tom.* 2. *n.* 400.

Item, an poni debeat Crux quando adeſt Tabernaculum cum Sanctiſſima Euchariſtia.

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Miſſæ in eo conficitur Altari, ubi poſitum eſt Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præſertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi ſemper præfigatur. Equidem in Cœremoniali Epiſcoporum hæc habentur. *Non incongruum, ſed maxime decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſſimum Sacramentum eſt, Miſſæ non celebrantur; quod antiquitus obſervatum eſſe credimus*: in veteri Cæremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur, *quod antiquitus obſervatum eſſe videmus*. Attamen id prorſus difficile nonnullis videtur, ob eam cauſam, quod, ut ipſi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui ſoleret, aut Divina Euchariſtia in eis conſervata non fuiſſet, aut nullum Miſſæ Sacrificium in eis eſſet inſtitutum: Aliter vero ſentiunt ii, quibus cognitum perſpectumque eſt, eum morem fuiſſe antiquitus, ut Sacra Euchariſtia in Eccleſiæ Sacrario ſervaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perſpicimus in Baſilica Sanctæ Crucis in Jeruſalem: Idem perpendit Mabillon *Muſæo Italico tom.* 1. *pag* 89. *ac tom.* 2. *pag.* 139. At quod in præſenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propoſitæ controverſiæ liberum facit, illud eſt, quod, juxta vigentem diſciplinam, Sacra Euchariſtia conſervatur in Tabernaculo, quod eſt poſitum ſuper uno ex Altaribus Eccleſiæ, & quod in eo paſſim Miſſa celebratur; cum, ſedulo perpenſo Cæremonialis textu, deprehenſum ſit, eum prædictæ celebrationi abſolute non obſtare; uti Chriſtianus Lupus expendit *tom.* 11. recentioris editionis in Diſſertatione *de Sacris Proceſſionibus pag.* 356. Hanc itaque controverſiam quum alias Nos ipſi expenderemus in ſupracitatis Commentariis *de Sacrificio Miſſæ par.* 4. *ſect.* 1. *num.* 18.; illorum ſententiam probavimus, qui exiſtimant Crucifixum inter Candelabra ſtatui debere, neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, ſatis eſſe, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus. Idemque cenſuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663. uti perſpicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *par.* 2. *tom.* 1. *num.* 400., ubi hæc leguntur verba. *Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia in medio Candelabrorum.*

Item poni debeat Crux quando eſt, expoſitum SS. Sacramentum.

Quarto loco diſputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari ubi Divina Euchariſtia non includitur Tabernaculo, ſed publicæ Fidelium venerationi exponitur. Id neceſſarium eſſe putavit Sacrorum Rituum Congregatio *die* 14. *Maji anno* 1707. Hoc enim petitum fuerat: *An ſuper altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debeat*. Sic autem reſponſum eſt, *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appoſita collocationem*. Porro quum Nos ipſi tunc in minoribus conſtituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipſius loco eidem Congregationi præſentes adfuerimus; adhuc memoria retinemus, in illa ſententia ferenda varia fuiſſe ac diſcrepantia ſuffragia, cautumque deinde fuiſſe, ne ipſa ſententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta eſt in examen initio Pontificatus Noſtri *die* 2. *Septembris anno* 1741. in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ poſtquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit, ut quælibet Eccleſia morem & inſtitutum, quod antea ſervaverat, in poſterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Miſſa in eo celebratur, & ſuper eo publicæ venerationi Euchariſtia expoſita eſt, parum urget, quod nonnulli afferunt, indecens eſſe, ut Chriſti Imago in eo loco ſit, in quo Chriſtus ipſe ſub ſpecie panis realiter præſens eſt, & ab omnibus ſub eadem ſpecie panis videtur: id quippe prorſus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Euchariſtiæ conſecravit; nec enim Eccleſia unquam decernendum putavit, ut, peracta Conſecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec aſſerentibus Crucem neceſſario eſſe debere in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum publicæ venerationi, ſi in eo Miſſa celebretur, quidquam prodeſſe poteſt, quod in publica Euchariſtiæ expoſitione ſignificetur triumphus, & gloria Salvatoris, in Miſſæ autem Sacrificio ejuſdem mors repræſentetur; cum Eccleſia, tam in actione Miſſæ, in qua Euchariſtia conſecratur, quam in concluſione precum, quæ coram eadem jam conſecrata & Fidelium venerationi palam expoſita recitantur, una eademque Collecta æque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui Nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut redemptionis tuæ* (hoc eſt paſſionis, ac mortis) *fructum in nobis jugiter ſentiamus*. Quæ cum ita ſe habeant, Rituumque Interpretes & Scriptores, ob ea, quæ mox relata ſunt, in varias abierint ſententias, ſatis commendari non poſſunt ea, quæ prudenter, ſapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Eccleſia vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem; itaut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi Sacra Euchariſtia publice proſtet: neque nova diſciplina excitetur in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit.

Pontifex omnia ſuper hac re propoſuit, ut perſpectum ſit conſuetudinem, quæ invaluit alienam eſſe a Sacro Ritu.

Hæc omnia diligenter expoſuimus, non quidem, ut hac de re plenum juſtumque tractatum adornaremus, ſed ut ex eis cognitum eſſet atque perſpectum, quam alienum ſit a Sacris Ritibus id, quod plures temere & inconſulto peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, ſed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaribus adjungi conſuevit.

Si etenim, juxta Rubricas Miſſalis, Crux inter

Can-

Candelabra ſtatuenda eſt; ſi, juxta Cœremoniales Epiſcoporum, Crux ipſa cum Imagine Crucifixi Candelabris ſupereminere debet; ſi, juxta ſenſum Congregationis Sacrorum Rituum, non ſatis eſſe judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Miſſa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum ſacris Particulis in Tabernaculo includitur: ſi in præſenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur; nec minus de Altari, in quo Sacra Euchariſtia publice adoranda propoſita ſit; nemo eſt, qui non videat, praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis perſonis uſurpatam, ex ſupradictis dicendam eſſe omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari ſuperadditur, ea profecto utilitas non conſequitur, quam proponit Eccleſia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re præclariſſimus Vir Cardinalis Bona ita ſcriptum reliquit, *Rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 8. *Ab aſpectu ſiquidem Crucis Sacerdoti celebranti Paſſio Chriſti in memoriam revocatur, cujus Paſſionis viva imago, & realis repræſentatio hoc Sacrificium eſt, mortem cruentam Salvatoris noſtri incruente exprimens, tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum eſt, quamvis diverſo modo offeratur*. His poſtremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *ſeſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 2.

Adhortatio Pont. ad Epiſcopos, ne irrepat conſuetudo adverſus Sac. Ritus.

Itaque Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apoſtolica ſcripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne veſtras in Diœceſes irrepat conſuetudo, quam ſuperius explicavimus; quod ſi jam ipſa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde ſeveritatem, ſi opus fuerit, adhibentes, illam penitus convellite. De Sacrificio Miſſæ res agitur, ideoque nemo veſtrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Epiſcopis, & Ordinariis Locorum, ut etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati corrigere valeant pravas conſuetudines, quæ Ritui Miſſæ celebrandæ adverſantur; Ita clare deſumitur *ex ſeſſ.* 22. in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Neque Vos latet, nullum eſſe privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re ſuffragari poſſit, ut veſtra ab auctoritate pœniſque per Vos irrogatis vindicentur; Idem ſæpius confirmavit Sacra Congregatio Tridentini Concilli interpres, Decreto inhærens ejuſdem Sinodi, quod paulo ante memoravimus: Id Fagnanus teſtatur ad *Cap. Grave, num*: 46. *de officio Ordinarii*: his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo ſuperius dictum eſt) *cenſuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eoſque ea omnia, quæ ab Ordinariis locorum circa obſervanda, & evitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omnino ſervare teneri, ad idque etiam pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem Ordinariis cogi & compelli poſſe*. Nos quidem his Literis eamdem auctoritatem, qua jam præditi eſtis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum ſupereſt, eam Nobis mentem haud eſſe, ut Imagines Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris ſuperadditæ ſunt, de medio auferatis, cum fortaſſe defuturi non eſſent invidi, qui ut pietati veſtræ maculam inurerent, in vulgus diſſeminarent, Vos nulla duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi ſubducitis: Illud Vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujuſmodi Altaria, niſi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, ac Populus Sacrificio aſſiſtens eumdem Crucifixum facile, & commode intueri poſſint; quod evenire nequit, ſi exigua ſolum Crux minori Tabulæ defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejuſmodi corruptela in Diœceſim non valde propagata eſt, facile extingui poterit, ſi privatim Regulares aut Sæculares Eccleſiarum Superiores de hac re moneantur: Sin autem late per Diœceſim invaluerit, tunc a Vobis Edictum neceſſario promulgandum erit, quod his noſtris Literis conformetur. Plura ſcribere Vobis prætermittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude ſatis præſtantes exiſtimamus. Auctoritatem noſtram, ut rem perficiatis, & quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Veſtris, & Populis veſtræ curæ commendatis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii MDCCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Dat. die 16. Julii 1746.

DE RESIDENTIA

Epiſcoporum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificum & Conciliorum ſollicitudo quoad reſidentiam Epiſcoporum.

AD univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum, ad Eccleſiaſticarum Legum cuſtodiam, & Fidelium Populorum ſalutem, tam magni refert ſingulor Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præpoſitos, in ipſis Eccleſiis, vel Diœceſibus ſibi creditis aſſidue reſidere; nt difficile ſit aliud ullum reperire Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque Decretis, aut Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus & Sanctionibus, tam ſepe tamque impenſe inculcatum fuerit & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica ſtatuta prætereamus, Nobis ſatis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*; tum ea quæ recol. mem. Prædeceſſor Noſter Urbanus Papa VIII. præſcripſit in ſua Conſtitutione data apud S. Petrum die XII. Decembris Anni MDCXXXIV., quæ incipit *Sancta Synodus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV., Gregorii XIII. Clementis VIII. Leges & Conſtitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus eſt recenſere omnes Encyclicas Literas, quæ ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos de implendo hujuſmodi Reſidentiæ onere identidem admonendos; ab hac Apoſtolica Sede mitti conſueverunt; ut patet ex Epiſtola juſſu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris quoque Noſtri ſcripta die V. Februarii Anni MDCLXXVIII. item ex alia die XXIV. Decembris Anni MDCCVII. a felic. record. Clemente Papa XI. ad ſuum & Apoſtolicæ Sedis Nuntium Neapoli commorantem conſcripta, ut illius Regni Præſules ad reſidendum in propriis Eccleſiis & Diœceſibus adigerentur; necnon ex ejuſdem Clementis Literis in forma Brevis datis die XXV. Maji Anno MDCCIX. ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum & diſſenſionum, quæ tunc in eo Regno verſabantur, ſuas reliquerant Eccleſias atque Diœceſes.

Quid hac in re præſtiterit Sanctiſſimus Dominus Noſter.

Neque porro Nos hac in re Apoſtolici Officii noſtri partes deſiderari permiſimus. Vix enim inſcrutabili Divinæ Providentiæ conſilio in hac ſuprema Eccleſiæ univerſalis ſpecula collocati fuimus, quum veterem Prædeceſſorum Noſtrorum morem in uſum revocantes, ac Ven. Fratres omnium per Orbem Eccleſiarum Antiſtites Apoſtolica ſcripta direximus, quibus inter cætera ſalubria monita, hoc etiam de reſidendo in propriis Eccleſiis peculiari ſtudio iis inculcare, & tam graviſſima damna, quæ eo eorum abſentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum præſentia concreditis ipſis Diœceſibus affert, ante oculos proponere non prætermiſſimus, ut videre eſt *in* §. 4. Epiſtolæ Encyclicæ die III. Decembris Anni MDCCXL. a Nobis conſcripta, quæ in *Tomo I.* Bullarii Noſtri nuper vulgati *num. II.* impreſſa eſt. Qui autem hominum corda ſcrutatur Deus, is ſane novit, quanto & quam acerbo animi Noſtri dolore nonnunquam acceperimus, Eccleſiaſticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere ſtuduerimus, nunc admonendo, nunc obſecrando, nunc increpando, abſentes quidem per Literas, præſentes vero ipſa voce ad debitum Reſidentiæ Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, in Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, qua Beneficia Eccleſiaſtica in octo anni menſibus vacatura Noſtræ diſpoſitioni & collationi reſervavimus, ſimul etiam eiſdem Patriar-

chis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſidentibus gratiam alternativæ menſium, certis modo & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipſi apud Eccleſias aut Diœceſes ſuas vere & perſonaliter reſiderent, de Beneficiis hujuſmodi Eccleſiaſticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliiſque alternis anni menſibus vacare contigeret, dummodo alias diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata vel affecta non eſſent, libere diſponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Noſtri duraturam conceſſimus: quo ſcilicet iidem Epiſcopi, & majorum Eccleſiarum Præſules, ampliorem poteſtatem in Beneficiis prædictis conferendis ſic obtinentes, hac etiam Apoſtolicæ Noſtræ liberalitatis gratificatione illecti, ad perſonalem Reſidentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

Abſentiæ cauſæ, & tempora a Concilio Tridentino permiſſa.

Quoniam vero & certæ quædam cauſæ adeſſe poſſunt, & hujuſmodi occaſiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis aſſenſu, & approbatione, liceat Epiſcopo e propria Eccleſia, & Diœceſi per aliquod definitum tempus abeſſe; ea vero abſentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem deſertæ Reſidentiæ reum conſtituit; ideo & in Conciliis, & in Apoſtolicis Conſtitutionibus ad præcavendos abuſus tam circa hujuſmodi cauſarum & occaſionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum ſpatia, providæ ſtatutæ Leges & Regulæ reperiuntur. Et quidem juſtæ ac legitimæ abſentiæ Cauſæ a præfata Tridentina Synodo *citat. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. non aliæ agnitæ fuerunt, quam Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Verum his etiam cauſis deficientibus, quum eadem Sacroſancta Synodus perpendiſſet, ex veterum Canonum ſententia, minime abeſſe videri eos, qui aliquantiſper abſunt, & ſtatim ſunt reverſuri; omnibus Eccleſiarum Antiſtitibus indixit, ut ſibi licitum non putarent ſingulis annis, ultra duos aut tres ad ſummum menſes, ſive continuos, ſive interruptos, extra proprias Diœceſes commorari; eoſque ſimul admonuit, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abeſſent, niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detinerent; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut abſque ullo Gregis detrimento conceſſa uterentur libertate, & ut id *æqua ex cauſa fiat*; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles cauſæ penitus excluduntur.

Indultum Urbano VIII. a Benedicto XIII. ampliatur, pro Epiſcopis recens in Urbe promotis.

Præfatus autem Prædeceſſor ad peculiares occurrentes caſus deſcendens, Epiſcopis in Curia promotis unum conceſſit menſem (quem poſtea declaratum fuit, a die ipſorum propoſitionis in Conſiſtorio computandum eſſe), quo menſe elapſo, ſinguli ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII' Prædeceſſore pariter Noſtro, Epiſcopi expoſuiſſent, tam exiguo temporis ſpatio non poſſe a recens promotis ſua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem conceſſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ſuo, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicario, ut præfatum unius menſis terminum, juxta caſuum contingentiam, & cauſa cognita, ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare poſſet.

Idem pro viſitantibus Limina Apoſtolorum.

Præterea Epiſcopis ad Sacra Apoſtolorum Limina ſtatutis temporibus viſitanda perſonaliter accedentibus, ſupradictus Urbanus Prædeceſſor indulſit, ut, Eccleſiis citra Montes, & citra Mare poſitis præſiderent, per quatuor; qui vero Ultramarinis, & Ultramontanis Eccleſiis præeſſent, per ſeptem menſes continuos a Reſidentia in ſuis reſpective Sedibus facienda, hujuſmodi Viſitationis gratia, excuſarentur.

Decreta ad præcavendos abuſus.

Cum vero idem Urbanus declaraſſet, ſe, per ea, quæ in ſuis præfatis Literis conſtituerat, minime ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt Decreta, ab eodem Urbano ejuſque Succeſſoribus approbata; cujuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam conjungere, ſive cum eo tempore, quo permittitur Epiſcopus poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes conjungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris inſalubritatem; alicui Epiſcopo permittitur extra Diœceſim degere; ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus, vernos ſimul, & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus, extra Diœceſim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti poſſet, declaratum fuit, prædictam trium menſium vacationem intra cujuſque anni limites coerceri, ut qui uno anno uſus ea non fuerit, non ideo ſequenti anno diutius ab Eccleſia ſua abeſſe valeat.

Et Epiſcopis S. R. E. Cardinalibus.

Et quoniam Tridentina Synodus ſub Legibus, de Reſidentia hujuſmodi ipſos etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales nominatim comprehendit; præfatus Urbanus Prædeceſſor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali, ſeu Metropolitanæ, aut Epiſcopali Eccleſiæ præpoſitus, unum ſimul ex Epiſcopalibus Suburbicariis obtineret, conſtituit, ut hujuſmodi Cardinales in primodictis Eccleſiis, non autem apud Epiſcopatus Suburbicarios, reſidere tenerentur.

Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata Urbani Conſtitutione, contra Tranſgreſſores hujuſmodi Legum, quæ ad Reſidentiam pertinent, graviſſimæ pœnæ ſtatutæ fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ: Verum biennio poſt totam hujus materiæ cognitionem delegavit Congregationi particulari a ſe deputatæ, quam compoſitam eſſe voluit ex tunc, & pro tempore exiſtentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non ejuſdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium,

Congregatio ſuper Reſidentia ab eodem Urbano VIII. erecta.

ac interpretationi, & executioni Decretorum prædicti Concilii Tridentini reſpective præpoſitarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, juſtis ex cauſis, & cum conſilio prædictorum Prælatorum, concedere poſſet Epiſcopis licentiam abeſſendi a propriis Eccleſiis, & Diœceſibus ſpatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipſius Urbani Literis datis die prima Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſexti diſtinctius præſcribitur.

Hujus Congregationis Caput, ſeu Præfectus, ex quo eadem inſtituta eſt, ſemper fuit præfatus Cardinalis Vicarius pro tempore exiſtens; quemadmodum ejuſdem Secretarii munus is ſemper geſſit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipſi, dum in minoribus conſtituti Officio Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum ſimul ſuſtinuimus. Quæ ſane Congregatio, ut ex illius Secretariæ Regeſtis apparet, tam ipſius Urbani Prædeceſſoris temporibus, quam aliis ſubſequentibus, non ſemel ſingulis Annis adunari conſuevit; id quod a ſan. mem. Prædeceſſore pariter Noſtro Clemente Papa XI. in uſum revocatum fuit, & identidem peractum, Nobiſmetipſis præfatum Secretarii munus obeuntibus, confectiſque a Nobis, & impreſſis foliis, ea prorſus methodo, quæ pro cauſis ad Congregationem Concilii pertinentibus obſervatur.

Hujus Congregationis praxis.

Ut autem Epiſcopi a ſuis Eccleſiis, vel Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam Canonicam, expreſſa quoque licentia Romani Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria; excepto caſu prædictæ trimeſtris abſentiæ a Concilio permiſſæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Epiſcoporum abſcedentium conſcientiæ relinquat, de æquitate cauſæ judicium facere; hinc eſt, quod quæcumque hujus generis licentia olim indulgeretur; per ſpeciale Chirographum manu Pontificis ſignatum expediebatur. Poſtmodum vero inductus fuit mos deſcribendi omnes hujuſmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici ſubſcribendum, deferebatur; quem ſane morem a Prædeceſſoribus Secretariis invectum, Nos quoque ſervavimus.

Cum

Quam olim intermiſſam Pontifex reſtaurare intendit.

Cum autem poſt abſentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononienſem Eccleſias regimini Noſtro ſucceſſive commiſſas, aſſidue reſidendo tranſegimus, in Urbem reverſi, & ad Apoſtolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis præfatæ ſeſſiones, materia forſan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut Folia ſignanda Nobis oblata fuerunt; ſed facta Nobis oretenus a Prælato dictarum Congregationum ſuper executione, & interpretatione Concilii, & ſuper Reſidentia Epiſcoporum Secretario tam petitionem Epiſcoporum, qui vacationem a Reſidentia poſtulabant, quam Cauſarum, quibus hujuſmodi petitiones innitebantur, relatione; noſtroque deſuper accepto reſponſo; opportuna ſingulis Decreta perſcribi, eaque a Cardinali Vicario Noſtro, tamquam ſæpedictæ Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum Præfecto, ſignari conſueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus; viſum eſt Nobis Motu proprio, & ex certa ſcientia, non ſolum pro debita, ut ajunt, actus ſolemnitate, ſed etiam pro ipſius rei ſubſiſtentia, & pro maturiori examine cauſarum, quæ ad hujuſmodi licentias obtinendas afferuntur, infraſcriptas leges, & ordinationes inviolabiliter in poſterum obſervandas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, edicere & conſtituere.

Canonica, & Pontificia ſtatuta confirmat, & innovat, contrariis non obſtantibus.

Primum itaque relata ſuperius Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Decreta, *ſeſſ. 6.*, *cap.* 1., & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.*, laudataſque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII., & Urbani pariter VIII. Conſtitutiones, & Ordinationes, nec non omnes & ſingulas, quas, ſupra innuimus, Reſolutiones Apoſtolicæ Sedis auctoritate editas, innovantes, & tam Decretorum, quam Conſtitutionum, Ordinationum, & Reſolutionum hujuſmodi tenores etiam veriores pro ſatis hic expreſſis, ac etiam de verbo ad verbum inſertis habentes, & haberi volentes; illaque & illas, quatenus opus ſit, iterum pleniſſime approbantes, & confirmantes; omnia & ſingula in ipſis contenta, ab iis, ad quos ſpectat, & pro tempore in poſterum ſpectabit, attendi, & in his omnibus, quæ Nobis hiſce Literis non adverſentur, exactiſſime impleri & obſervari volumus, ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, uſibus & conſuetudinibus, quæ potius abuſus & corruptelæ dici debent, quibus, ſi forte adeſſe, aut allegari contingat, motu ac ſcientia ſimili, ac de prædictæ Apoſtolicæ auctoritatis Noſtræ plenitudine, derogamus, ac derogatum eſſe volumus & decernimus.

Item pœnas in contravenientes latas.

Secundo loco, & conſequenter ad præmiſſa, adverſus prædictarum Legum, & Conſtitutionum Tranſgreſſores, omnes & ſingulas pœnas in eiſdem Decretis, & Conſtitutionibus latas & comminatas, auctoritate quoque noſtra confirmamus & innovamus; amiſſionis ſcilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipſo facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, ſeu juſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus, & abſque expreſſa, ut præfertur, Apoſtolicæ Sedis licentia, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abfuerint; & amiſſionis alterius quartæ partis fructuum, eodem modo incurrendæ, ubi hujuſmodi abſentia ad alios ſex menſes protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 1. *de Reform.* ſtatutum fuit; incurſus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis reſtituendi fructus in abſentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eoſque erogandi in Eccleſiarum fabricas, ſeu in ſuſtentationem pauperum ipſius loci, quacumque conventione, ſeu compoſitione pro hujuſmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. præſcribitur. Similiter impoſitam a prædicto Pio IV. Prædeceſſore pœnam amiſſionis facultatum teſtandi & diſponendi, ſi quæ tranſgreſſoribus hujuſmodi competere dignoſcantur; nec non inhabilitatis ad majores Dignitates, & Eccleſias obtinendas, quam præfatus quoque Prædeceſſor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam ſuperaddimus, ut iidem tranſgreſſores omnibus & ſingulis Indultis, & Privilegiis, quæ forſan ipſis, tam-

Addita pœna privationis Indultorum competentium Aſſiſtentibus Solio Pontificio.

quam Pontificio Solio Aſſiſtentibus, conceſſa fuerint, ipſo facto privati eſſe cenſeantur: Decernentes, ſub Tranſgreſſorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter tres menſes a Concilio toleratos, abſque legitima cauſa, & expreſſa Romani Pontificis licentia, extra proprias Diœceſes commorantur; ſed eos etiam, qui hujuſmodi licentiam falſis ſimulatiſve cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite recteque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint. Quod ſi nihilominus, aliqui, non minus Canonica ſtatuta, quam propoſitas hujuſmodi pœnas contemnentes, in ſua contumacia obfirmati perſeverare præſumpſerint; volumus adverſus iſtos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejuſdem Concilii Tridentini, quod in *Citato c.* 1. *ſeſſ. 6.*, Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem hortatur, ut ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate in hujuſmodi Tranſgreſſores ad ſeveriorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Eccleſiis ipſis de utilioribus Paſtoribus provideat, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Congregationem ſuper Reſidentia, ejuſque ſeſſiones in uſum reducit.

Tertio loco volumus & mandamus, ut prædictæ Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum ab Urbano Papa VIII. inſtitutæ exercitium, atque ſeſſiones reſumantur, confirmantes ipſius Præfecturæ munus dilecto Filio Noſtro Joanni Antonio Tituli S. Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Noſtro in Urbe ejuſque Diſtrictu in ſpiritualibus Vicario, ejuſque in Officio Vicariatus hujuſmodi Succeſſoribus; ſicut etiam Officium Secretarii ejuſdem Congregationis dilecto Filio Magiſtro Joſeph Alexandro Furietto, ejuſque Succeſſoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis; eoſdemque ſtatuentes in hujuſmodi Congregatione nunc & deinceps pro tempore locum habere, & ſuffragium ferre, quicumque ea officia, & munera obtinent ſive obtinebunt in poſterum, quæ, in præcitatis Urbani Prædeceſſoris Literis deſignantur. Præterea quum minime expediat hujuſmodi Congregationem Promotore Fiſcali carere, Nos eum, qui in Tribunali prædicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiſcalis, ejuſque in Officio Succeſſores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in præfata Congregatione, cui ipſum, ſeu ipſos cum conſultivo ſuffragio volumus intereſſe.

Eique deputat Promotorem Fiſcalem.

Præſcribit occaſiones, quibus adunari debeat.

At vero perpendentes, quod ſi Congregatio iſthæc toties habenda foret, quoties ab aliquo Epiſcopo licentiam abſcedendi a Diœceſi peti contigeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi, & parvipendi poſſet; volumus, atque ſtatuimus, eamdem tunc tantum cogendam, habendamque eſſe, quum aut a Nobis, ſive a Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus, alicujus negotii cognitio ipſi remiſſa, & delegata fuerit: Aut, hujuſmodi etiam remiſſione ceſſante, quoties de pænis ſuperius conſtitutis, adverſus aliquem tanſgreſſorem reipſa decernendis infligendiſque deliberandum fuerit; ſiquidem hujuſmodi pænarum modus, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione ſtatuendus erit, ut facta per ipſius Secretarium Nobis, ſeu Succeſſoribus Noſtris relatione, approbataque Congregationis reſolutione, ad hujuſmodi pœnarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Epiſcopus inſtantiam proponat abeſſendi a propria Diœceſi ratione alicujus muneris, ſive officii; cujus ea dicatur natura eſſe, ut Apoſtolicum Indultum de non reſidendo ad longum tempus ipſi ſit concedendum; Nos etenim hujuſmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus, niſi prævio cauſarum examine in eadem Congregatione peragendo, Noſtraque & Succeſſorum Noſtrorum ſcientia, & approbatione, & mediante expeditione Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Noſtro & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis Supplicum Libellorum Secretario, aliiſque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas in prædictam Congregationem ſuper Reſidentia Epiſcoporum omnino remittant; ſimulque prohibemus Noſtro, & Succeſſorum Noſtrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Literarum Apoſtolicarum ſuper Indultis hujuſmodi exempla Nobis, aut Succeſſori-

ceſſoribus Noſtris, ſignanda, ullatenus afferat, niſi authentica documenta, tam de cauſarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apoſtolica approbatione, & aſſenſu conſequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

Folia], cum expreſſione Indultorum, quæ conceduntur, ad Pontificis Signaturam deferri mandat.

Quarto loco ſtatuimus, ut Folia ſuperius enunciata in poſterum omnino conficiantur, in quibus nimirum deſcribantur nomina Epiſcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra Diœceſim, una cum cauſis ab ipſis adductis atque probatis, & ſpatio temporis ad quod hujuſmodi Indulta conceduntur; quæ quidem Folia a Romano Pontifice ſubſcripta, in Tabulario prædictæ Congregationis, ut alias, aſſervari præcipimus: Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quæ per Apoſtolicas Literas in forma Brevis expedienda eſſe in paragrapho ſuperiore deſcripſimus; ſed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque, poſt Pontificium aſſenſum a Secretario requiſitum & obtentum, expediri debebunt per Decreta a prædicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam præfatæ Congregationis Præfecto, ſubſcripta. Decet enim has quoque licentias non ſine Pontificia ſubſcriptione prodire; idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis ſuper prædictis Foliis, in quibus ſingulorum Indultorum tenores, & cauſæ a Secretario deſcriptæ erunt, quemadmodum elapſis temporibus, atque etiam a Nobis ipſis, dum hujuſmodi Secreiarii munere fungeremur, ſervatum fuiſſe narravimus.

Singulis abſentiæ cauſis opportuna Reſcripta comparat.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Diœceſim, infraſcriptæ plerumque cauſæ ab Epiſcopis afferri ſolent; nimirum aut neceſſitas aſſiſtendi perſonaliter alicui liti, ſeu controverſiæ, in qua Eccleſiæ, aut Cleri ſui, vel etiam propriæ Familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta ſit, vel alia in urbe: in qua reſideant majora Tribunalia, quorum ea de re judicium eſſe debeat; aut corporalis ægritudo, qua correptus fuerit Epiſcopus, dum extra Diœceſim, Conciliaribus menſibus utens, morabatur, itaut ad eamdem Diœceſim reverti nequeat; aut adverſa valetudo in ipſa Diœceſi contracta, ad quam depellendam Medici putent neceſſarium fore, Epiſcopum aerem, & ſolum aliquantiſper mutare, aut denique malignitas aeris in Diœceſi vigens, quam aliquibus anni menſibus devitari oporteat; Et quoniam nec ulla ex præmiſſis cauſis, abſque expreſſa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere reſidendi eximere poteſt; & niſi certis expreſſis circumſtantiis, iiſque verificatis, difficile eſt ad hujuſmodi approbationem rite recteque procedere; neceſſarium Nobis viſum eſt infraſcriptas Regulas ſtatuere, quas in ſingulis reſpective caſibus ab iis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, obſervari mandamus, atque præcipimus.

An, & quatenus permittendum Epiſcopo, ut a Diœceſi abſit cauſa Litis.

Si quis igitur in poſterum licentiam petierit abſcedendi a Diæceſi ſibi concredita, ut judiciali controverſiæ, quæ alibi vertitur, per ſe ipſum interſit; exprimere debebit in precibus tum Locum, ſive Urbem, in qua hujuſmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipſam Oratoris Eccleſiam, ſeu Clerum, vel potius ad ipſius Familiam. Et quidem ſi ad Familiam pertineat, abſque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Præfectum adeat, reſcribendum ab ipſo erit, ut Orator ad effectum, de quo in precibus, utatur menſibus a Conciliis indultis. Quod ſi eis jam uſus fuerit, ulterior ipſi licentia non concedetur. Si vero de ejus Eccleſiæ, vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt, tum ſtatus litis, ejuſdemque gravitas, tum cauſæ, propter quas neceſſaria creditur in loco judicii Oratoris præſentia; tum etiam declarandum, an menſibus Conciliaribus uſus fuerit. Et quidem ſi nondum illis uſus ſit, reſcribendum erit, ut eos in hujuſmodi cauſam impendat. Si vero id amplius Epiſcopo integrum non ſit, (quia in re nec fraus interceſſerit, & alioquin ipſius inſtantia juſta videatur, tantum illi temporis, & non amplius, ad commorandum extra Diœceſim tribuatur; quantum judicatum fuerit neceſſarium eſſe, ad Cauſæ Defenſores, Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent, ſufficienter inſtruendos. Si enim licentia abeſſendi a Diœceſi uſque ad finalem exitum cauſæ extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hiſce caſibus Epiſcoporum abſentia, & quam facile evenire poſſet, ut pleræque Diœceſes complurium annorum ſpatio Paſtorum præſentia carerent.

Quid ratione infirmitatis extra Diœceſim contractæ.

Qui vero licentiam abeſſendi petierint, ratione infirmitatis extra Diœceſim contractæ dum vacatione a Concilio indulta uterentur, aſſerentes ea de cauſa regreſſum ad propriam Diœceſim ſibi prohiberi; exponere debebunt contractæ infirmitatis qualitatem, & ſuper ea teſtimonium Medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipſis indulgeatur, ea ſemper ad certum, ac definitum tempus concedi debebit, adjecta quoque clauſula *ſi tamdiu infirmitas duraverit*.

Quid ad convaleſcendum ex morbo in Diœceſi contracto.

Ab iis autem, qui hujuſmodi licentiam poſtulaverint, eo quod aeris mutatione opus ſibi eſſe dicant ad convaleſcendum ex morbis, quos in ſuis Eccleſiis reſidendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, & quam graviter laborent, ac proferendum teſtimonium Medici, qui jurejurando teſtetur, utile ac neceſſarium Oratori eſſe, ut in aliam Regionem, atque aerem per aliquod tempus ſe transferat. Nec illud ſilentio prætereundum, an ſcilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimeſtri licentia a Concilio permiſſa uſus fuerit: Si enim id nondum fecerit, & tempus a Concilio indultum ſufficiens ipſi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menſes in quibus tamen Conciliares Menſes comprehendantur, a Reſidentia abſens permaneat: At ſi prædictos Conciliares Menſes, remoto omni dolo & fraude, jam extra Diœceſim tranſegerit; tantum temporis ipſi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipſius valetudinem vere neceſſarium eſſe prudenter judicabitur.

Quid ratione aeris inſalubris.

Qui tandem licentiam commorandi extra Diœceſim poſtulabit propter malignitatem aeris, quem in ſua Diœceſi aliquo anni tempore inſalubrem eſſe affirmet; is videat etiam, atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni menſibus pernicioſus ſit Regionis aer: Item an eadem Cœli temperies totam comprehendat Diœceſim, itaut nullus intra ejus tractum locis exiſtat, in quo ſuſpectum illud tempus abſque ſalutis detrimento tranſigere valeat; poſtremo an Conciliaribus Menſibus uſus fuerit. Etenim ſi nondum eos ſibi ſumpſerit, non ægre obtinebit Indultum abeſſendi per quatuor menſes (quatenus periculum ab aere tamdiu durare cenſeantur), in quibus tamen tres illi a Concilio permiſſi numerandi erunt: Si autem hujuſmodi Concilii indulgentia jam uſus fuerit, fruſtra novum Indultum prædicta de cauſa ab Apoſtolica Sede poſtulabit, ſibique imputare debebit, quod quum ſciret certo anni tempore in ſua Diœceſi aerem inſalubrem fore, conceſſos vacationis Menſes in tempus illud non reſervaverit. In omnibus autem abſentiæ Indultis, quæ ratione aeris inſalubris in poſterum concedentur, hanc clauſulam adjici volumus: *Dummodo intra Diœceſim aliquis locus non adſit, in quo aer ſalubris ſit, & in quo Epiſcopus commorari poſſit.*

Quid pro celebrandis Conciliis, Aſſembleis, Diætis &c.

Sane prædictus Urbanus Prædeceſſor non prætermiſit eorum Antiſtitum cauſam conſiderare, qui Provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, ſeu Aſſembleis generalibus, in quibus Eccleſiaſtici intervenire ſolent, perſonaliter intereſſe, ſive in aliis muneribus, aut Reipublicæ officiis, quæ ipſorum Epiſcopatibus, Eccleſiiſque adjuncta ſunt, ad certum tempus extra Diœceſim occupari ſolent, ac debent; & his quidem in præcitata Conſtitutione licentiam abeſſendi conceſſit pro eo definito tempore, quo ejuſmodi Concilia, Congregationes, & Aſſembleæ peragentur, exercitiumque muneris, ſeu officii publici eorum Eccleſiis adjuncti, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Eccleſias ſibi commiſſas ſeſe conferrent; cujus conceſſionis æquitatem Nos quoque agnoſcentes, eamdem approbamus, & confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil ſtatuerit de Epiſcopis qui a Reſidentiæ ſuæ loco diſcedunt pro Proceſſuum in cauſis Beatificationum, aut Canonizationum, compilatione, Apoſtolica auctoritate ipſis delegata; neceſſe eſt aliquid a Nobis pro his etiam caſibus opportune conſtitui.

Quid pro conſtruendis Proceſſibus Apoſtolicis in Cauſis Canonizationis.

Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum Literæ, quas vocant Remiſſoriales, & Compulſoriales, quibus committitur, ut ſupradicti Proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiantur; eæque diriguntur tribus Epiſcopis, aut Superioribus Prælatis, cum clau-

clauſula, ut *duo ad minus præcedant*. Cumque in hujuſmodi Epiſcoporum numero ſemper includatur Ordinarius loci, in quo Proceſſus conſtruitur; fere contingit, e tribus, ad quos Literæ ſunt directæ, unum dumtaxat a Reſidentia avocari. Ubi itaque aliquis Epiſcopus Titularis Eccleſiæ in partibus Infidelium conſtitutæ haberi poſſit, volumus eum in præfatis Literis pro uno ex tribus Epiſcopis comprehendi. Quod ſi tres omnino Antiſtites in propriis Eccleſiis reſidentes ad hujuſmodi effectum delegari oporteat, ſtatuimus atque præcipimus, ut Literæ a prædicta Congregatione dirigantur Epiſcopis, qui viciniores ſunt Diœceſi, in qua Apoſtolicus Proceſſus conficiendus erit. Quoniam vero de re agitur, quæ duabus tribuſve hebdomadibus perfici queat, ſed quæ plurium ſæpe menſium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Epiſcopi, qui ejuſmodi delegationem acceptaverint, neceſſariam licentiam abſcedendi a Diœceſi, cauſam abſentiæ exprimendo, petere & impetrare non omittant, ſub pœnis adverſus eos conſtitutis, qui abſque cauſa extra Diœceſim commorantur. In hujuſmodi autem licentiis concedendis, ſtatuimus, ut Conciliares Menſes ſemper comprehendantur, & præter eos, triginta dumtaxat dies, ſi opus fuerit, adjiciantur; nam & ad plura peragenda quadrimeſtre ſpatium ſufficiens eſt; &, ſi adhuc facienda ſuperſint, quatuor alii menſes ſequenti anno in idem opus inſumi poterunt.

De præmiſſorum obſervantia præceptum.

Hæc ſunt, quæ ſalubriter in Domino ſtatuenda judicavimus, quæque pro regula, & norma in poſterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, graviſſimum, quod ipſis incumbit, Reſidentiæ officium exacte impleatur. Itaque Dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis ſuper eadem Reſidentia Secretario, ejuſque Succeſſoribus in perpetuum, injungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœnis contra inobedientes mandatis Apoſtolicis in re gravi, præcipimus, atque jubemus, ut ſupplices Libellos pro parte quorumcumque Antiſtitum ſibi oblatos, in quibus ea, quæ ſupra adnotavimus, expreſſa non fuerint, quibuſque neceſſaria authentica documenta, ſuperius pariter indicata, non ſint adjuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant: In Decretis autem, quæ poſt Pontificium aſſenſum ab ipſis Secretariis in conſueta audientia reportatum, a Cardinali ejuſdem Congregationis Præfecto ſubſcribenda erunt, ſupraſcriptas clauſulas reſpective apponere non prætermittant; illud etiam expreſſe cavendo, ut quæ conceduntur Indulta, a die Datæ ipſorum Decretorum decurrere intelligantur.

De onere denunciandi non reſidentes.

Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Epiſcopos omnes monemus, ut non ſolum ipſi ſtatutas de Reſidentia leges adamuſſim obſervent, ſed etiam memores ſint Decreti a Sacra Tridentina Synodo editi *ſeſſ. 6. cap.* 1. *de Reformatione*, quo jubentur ſinguli pro virili parte in aliorum agendi rationem reſpective vigilare, & non reſidentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Noſtris quoque, & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus, & conjungimus; ubi intra ipſorum Nuntiaturæ Diſtrictum aliquis Epiſcopus, ſeu Superior Prælatus exiſtat, qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoſcatur.

Specialis commiſſio Nuntio Apoſtolico Neapoli commoranti injuncta.

Et quia Nobis relatum eſt, nullibi frequentius prædictas Leges ab Epiſcopis violari, quam in proximo Neapolitano Regno, (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero), volumus, atque ſtatuimus, ut in Indultis abſentiæ, quæ pro Epiſcopis prædicti Regni in poſterum expediri contingat, ad cæteras clauſulas ſuperius præſcriptas, hæc etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apoſtolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris, & momenti habeatur. Nos ſiquidem prædicto Nuntio earumdem præſentium tenore committimus, ut hujuſmodi Licentias in acta ſui Tribunalis referri faciat, itemque de cauſis, propter quas conceſſæ fuerint, inquirat, ac tempus in iis præfinitum obſervet, ad hoc ſcilicet, ut & per eum reſciri poſſit, ſi quid obreptum, aut ſubreptum fuerit in precibus; & ipſum latere nequeat, ſi quis præſcriptos ſibi limites tranſgrediatur, ſive abſque neceſſario Apoſtolicæ Sedis Indulto, extra tempora a Concilio permiſſa, longe ab Eccleſia, & Diœceſi ſua commoretur. Pro iis autem, qui, ut Nobis pariter relatum fuit, Diœceſes ſuas deſerunt, & non quidem in Urbem Regni principem, ubi Apoſtolicus Nuntius moram trahit, ſed in alias ſe conferunt ejuſdem Regni Civitates, quin ipſe Nuntius quidquam de ipſis audiat; injungimus eidem Nuntio, ut per Officiales ſuos, atque Miniſtros, quos in omnibus Diœceſibus retinet, curet ſe certiorem fieri de Epiſcopis, quicumque a propriis Diœceſibus recedunt: Ut & ii, qui obtentis licentiis abutuntur, & multo magis ii, qui proprio marte ſe gerere præſumunt, (dum vel abſque prævia licentia, præter tempus a Concilio indultum a ſuis Diœceſibus abſunt, vel ſi ob aliquem inopinatum eventum ab ipſis diſcedere compulſi fuerint, hujuſmodi licentiam, ſtatim ac ad diſtinatum locum pervenerint, petere & impetrare non curant;) ſeveriorum ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum ſanctionum cenſuræ ſubjiciantur.

S. R. E. Cardinales præmiſſis legibus expreſſe comprehenduntur.

Cæterum intendimus ſub præſentium Literarum Noſtrarum ordinatione, & diſpoſitione etiam ipſos Venerabiles Fratres Noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus Eccleſiis prædictis ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica nunc præſunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehenſos eſſe, & fore.

Literarum firmitati conſulitur.

Præſentes quoque Literas, omniaque & ſingula in eis contenta de ſubreptionis, obreptionis, aut cujuſcumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentioniſque Noſtræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, & præſertim ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſolemnitateſque, & alia ſervanda, & adimplenda nullatenus ſervata, & adimpleta fuerint, ac quocumque ſuo colore, prætextu, occaſione, & cauſa, etiam neceſſario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrum; vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo unquam tempore poſſe; ſed ſemper perpetuoque valida, firma, & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, perinde, ac ſi in Conſiſtorio Noſtro ſecreto, & de eorumdem Fratrum Noſtrorum conſilio, & unanimi conſenſu emanaſſent:

Sublatum &c. irritum &c.

Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, nec non prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem ſuper Reſidentia deputatam, & quoſcumque alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, judicari & definiri debere, & quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogationes.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Univerſalibus, Generalibus provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, vel edendis, nec non, quatenus opus ſit, de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, Statutis quoque, etiam juratis conſuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus, dictarum reſpective Eccleſiarum, nec non licentiis, privilegiis, & indultis etiam Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, earumque Præſulibus quomodolibet hactenus conceſſis, omnibuſque & ſingulis aliis, quæ prædictus Urbanus ſuarum Literarum firmitati, & executioni voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationis vis, & exemplorum auctoritas.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum

copiæ

copiæ ibidem affigantur, & affixæ relinquantur, quæ ſic publicæ, & affixæ omnes & ſingulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non ſecus ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent; quodque earumdem præſentium Tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus Fides adhibeatur in Judicio, & extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipſius præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Ordinationum, Conſtitutionum, Derogationum, Præceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Pontificatus Anno 7. die 3. Septembris 1746.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. tertio Nonas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

D. Cardinalis Paſſioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Public. die 20. Septembris 1746.

XIX.

FIRMANÆ

Congregationi, quoad Gubernium tam Politicum, quam OEconomicum Civitatis & Comitatus Firmi privativa juriſdictio tribuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Congregatio Firmana a Pontifice inſtauratur.

PATERNI prorſus ſtudii, quo Civitatem noſtram Firmum, ejuſque Comitatum, & Incolas univerſos, pro impoſito Nobis deſuper Supremi Principis officio proſequimur, haud leve argumentum edidimus ſub ipſum Pontificatus noſtri initium; quum per Noſtras in forma Brevis Literas datas die xx. Septembris Anni MDCCXL., Congregationis Firmanæ, nuncupatæ, quæ ad illius Civitatis & Comitatus negotia in Romana Curia & Urbe cognoſcenda ac dirigenda, a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus erecta fuerat, novam utilioremque formam conſtituimus, immutato veteri ipſius ſtatu, quo permanente, nec ſatis promptam fore, nec adeo proficuam, ut par erat, hujuſmodi negotiorum & Cauſarum tractationem expeditionemque judicavimus. Ex qua ſane providentiæ Noſtræ diſpoſitione quum uberiora in dies emolumenta ad optimum

Status controverſiæ.

ipſius Civitatis & Comitatus regimen provenire dignoſcantur, non illud tamen ſequutum eſt, ut omnino ſublata fuerit vetus quædam controverſia, quæ dudum vigebat inter eamdem Civitatem Firmanam ex una, & nonnullas Communitates Caſtrorum & Locorum ipſius Comitatus ex altera parte, ſuper eo, an cognitio negotiorum OEconomicorum hujuſmodi, ad præfatam Congregationem Firmianam privative ſpectaret, vigore facultatum a ſan. mem. Prædeceſſore Noſtro Innocentio XII., in Literis ſuper ipſius erectione die tertia Januarii Anni MDCXCII. emanatis, ipſi conceſſarum; ſeu vigore ſubrogationis hujuſmodi Congregationis in locum Cardinalium Nepotum, ſive aliorum Conſanguineorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, quibus ejuſdem Civitatis & Comitatus Gubernium, & omnimoda in eam, eumque juriſdictio per duo ferme ſæcula demandari, ac reſpective ab iiſdem pleniſſime exerceri conſueverat; an vero ad aliam Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper Bono Regimine Communitatum Status Noſtri univerſi deputatæ, privative potius pertineret, vigore ampliſſimarum facultatum, quæ tam a felic. record. Clemente Papa VIII. Prædeceſſore pariter Noſtro in Bulla erectionis ejuſdem Congregationis, quam a ſimil. mem. Paulo Papa V., & Clemente Papa XI. eidem Congregationi tributæ fuerunt, dum per ſuas reſpective Literas illius juriſdictionem quoad Communitates ejuſdem Status Eccleſiaſtici in genere aſſeruerunt, ſeu declararunt, aut ampliarunt.

Quamvis enim in prædicta Civitate Firmana certus quidam Officialis exiſteret, Commiſſarius Tabelliſta nuncupatus, a Romano Pontifice, ſeu pro rerum circumſtantiis, & pro collationis modo, ab ipſo Firmanæ Congregationis Præfecto ad hoc deputatus, ut reviſis & examinatis, ſub directione Gubernatoris pro tempore exiſtentis, tam ipſius Civitatis, quam aliarum Communitatum de prædicto Comitatu, reddituum & expenſarum Tabellis, eas in Urbem tranſmitteret ad prædictam Congregationem Firmanam; cujus eſſet opportuna Decreta & Mandata ſuper earum Communitatum OEconomico regimine condere & expedire; Nihilominus præfatæ Communitates Locorum & Caſtrorum de Comitatu, ſive ex prætenſis gravaminibus in hujuſmodi Tabellarum examine ſibi aliquando irrogatis, ſive ex peculiaribus quibuſdam exemplis, quibus conſtabat prædictam Congregationem Boni Regiminis, pro extraordinatiorum quorumdam onerum repartitione & exactione, aliquos juriſdictionis actus exercuiſſe, variaque Decreta edidiſſe, ad OEconomicum ipſius Firmanæ Civitatis, & Caſtrorum ſtatum aliquo modo pertinentia: ſæpe detrectarunt rerum ſuarum ſtatus atque Tabellas prædicti Commiſſarii, atque etiam Gubernatoris, ipſiuſque Congregationis Firmanæ judicio & examini ſubjicere, eorumque mandatis obtemperare; contendentes, ad ſolam Congregationem Boni Regiminis hujuſmodi OEconomicorum negotiorum cognitionem ſpectare: Quæ controverſia pluries agitata, non ſine Partium diſpendio, & negotiorum confuſione ac detrimento, nunquam tamen omnino dirempta, aut definita fuerat.

Quæ avocatur ad Sanctiſſimum, & ad Signaturam Gratiæ.

Cumque eadem quæſtio nuper occaſione peculiaris cujuſdam caſus, iterum exorta, atque acerrimis Partium ſtudiis redintegrata eſſet; viſum eſt Nobis totam hujus materiæ cognitionem ſupremo judicio Noſtro reſervare, eamque in Signatura Gratiæ, cum conſilio dilectorum Filiorum ejuſdem Signaturæ Votantium, & Partibus plene auditis, perpetuo atque irrevocabiliter definire. Quamobrem hujuſmodi cauſa in ſtatu, & terminis ad Nos & ad Signaturam prædictam avocata, per Decretum a dilecto filio Magiſtro Clemente Argenvillieres Auditore Noſtro editum; tranſmiſſaque pro parte Civitatis Firmanæ opportuna Commiſſione; cum utraque Pars omnia documenta & exempla in rem ſuam collegiſſet, ſuaſque rationes tam in ſcriptis, quam oretenus per ſuos Defenſores, & Advocatos Nobis expoſuiſſet: Nos demum in prædicta Signatura Gratiæ coram Nobis habita die XIX. elapſi menſis Julii, auditis dictorum Votantium ſuffragiis, omnibuſque mature penſatis, decrevimus, & pronunciavimus: *Gubernium tam Politicum, quam Oeconomicum Civitatis & Caſtrorum Firmi privative ſpectare ad Congregationem Firmanam.*

Reſolutio.

Gubernium Politicum, & Oeconomicum Firmanæ Congregationi privative tribuitur.

Cujus porro Reſolutionis & Reſcripti Noſtri perpetuæ firmitati conſulere, ac ſimul prædictæ Congregationis Firmanæ facultates amplius atque diſtinctius declarare volentes, præſentium Literarum tenore, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione Noſtris, eidem reſolutioni inhærentes, ſtatuimus & declaramus, Gubernium tam Politicum, quam etiam OEconomicum Civitatis Firmanæ prædictæ, ac Civium, & Incolarum, necnon Territorii & Diſtrictus totius Comitatus, ejuſque Caſtrorum, Terrarum, atque Locorum, antedictæ Congregationi Firmanæ privative quoad quoſcumque alios omnino competere; itaut quemadmodum per declaratam voluntatem præfati Prædeceſſoris Innocentii Papæ XII., in ſupra relatis ipſius Literis diſtincte expreſſam, ad ipſam Congregationem Firmanam, in Gubernio Politico ejuſdem Civitatis & Comitatus, ſimilis, atque eadem plane poteſtas, auctoritas, & juriſdictio, omneſque & ſingulæ competunt facultates, quæ quoad univerſum Statum Noſtrum Eccleſiaſticum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper Conſultationibus negotiorum ejuſdem Status Eccleſiaſtici deputatam competere dignoſcuntur; ita etiam hujus Noſtræ declarationis vigore, & expreſſa præſentium Literarum ſanctione, eidem Firmanæ Congregationi, in OEconomico præfatæ Civitatis Regimine, omnes pariter & ſingulæ facultates, eademque juriſdictio, auctoritas, & poteſtas, quæ ad Congregationem etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper Bono Regimine & adminiſtratione reddituum Communitatum Ditionis Eccleſiæ deputatam, quoad gubernium OEconomicum hujuſmodi, juxta felic. record. Clementis Papæ VIII., Pauli Papæ V., & Clementis Papæ XI., ac aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum conceſſiones, ſeu declarationes, quomodolibet ſpectant & pertinent, pari modo & abſque ulla prorſus differentia ſpectent atque pertineant, atque ab ipſa in omnibus & per omnia pleniſſime exerceantur.

Et aliis Congregationibus, ſeu Tribunalibus inhibetur, cum avocatione Cauſarum ſub pœna nullitatis.

Quamobrem antedictis Congregationibus, nimirum Conſultationibus & bono Regimini hujuſmodi præpoſitis, utrumque Gubernium prædictum quoad dictam Civitatem, Firmanam, & Cives, & Incolas: necnon Territorium, & Diſtrictum totius Comitatus, Terraſque, Caſtra, & Loca ejuſdem, harum ſerie expreſſe interdicentes; volumus, præcipimus, & mandamus, eiſdemque & aliis quibuſvis etiam prædictæ S. R. E. Cardinalium Congregationibus, necnon quibuſcumque aliis Judicibus, & Tribunalibus diſtricte inhibemus, ne in alterutro Civitatis & Comitatus prædictorum Gubernio, neve in utrumvis concernentibus Cauſis Politicis, Criminalibus, aut OEconomicis, ſub quocumque prætextu, colore, occaſione, vel cauſa, ſeſe quoquo modo immiſcere, vel ingerere, etiam de conſenſu Partium, ullo unquam tempore audeant ſeu præſumant; ideoque omnes & quaſcumque cauſas, lites, & controverſias ad alterutrum hujuſmodi Firmanæ Civitatis & Comitatus Gubernium pertinentes, tam motas, quam movendas, atque etiam ex nunc coram alio quolibet Judice, Tribunali, aut Cardinalium Congregatione cœptas & conteſtatas, in quocumque ſtatu reperiantur, auctoritate & tenore prædictis, ab ipſis avocamus, prædictæque Firmanæ Congregationi & Judicio remittimus. Ac ſi quid in poſterum adverſus præmiſſa quavis in parte, per quaſcumque ex memoratis Congregationibus, ſeu quemcumque alium Judicem, aut Tribunal, etiam, ut præfertur, de conſenſu Partium, fieri, ordinari, decerni, vel judicari contigerit, tamquam privativi juris & juriſdictionis ipſius Firmanæ Congregationis læſivum, ex inſanabili defectu juriſdictionis prorſus nullum, nulliuſque roboris aut momenti fore ſtatuimus & declaramus.

Methodus ſervanda a Congregatione Boni Regiminis Commiſſionibus ſpecialibus.

Quoniam vero contingere poteſt, prout anteactis temporibus aliquoties contigit, ut Romanus pro tempore Pontifex prædictæ Congregationi Boni Regiminis ſpecialem aliquam Commiſſionem, pro aliqua generali repartitione ſuper omnibus Communitatibus univerſi Status Eccleſiaſtici ſtatuenda, aut pro alia quapiam OEconomica proviſione, dirigat atque demandet; ut in caſu, & caſibus hujuſmodi, omnia rite ac debito ordine procedant; per eaſdem præſentes etiam decernimus & declaramus; licitum fore prædictæ Congregationi Boni Regiminis, illiuſque Præfecto, in vim talis Pontificiæ Commiſſionis ſtatuere quotam, ſeu quantitatem, pro qua Civitas Firmana, & univerſus Comitatus prædictus, cum cæteris Communitatibus dicti Status Eccleſiaſtici concurrere debebunt: hoc tamen ſtatuentes, ut diviſio & diſtributio ipſius quotæ, ſeu quantitatis, nec non executio repartitionis a Congregatione Boni Regiminis, ut ſupra, factæ; ad prædictam Congregationem Firmanam, illiuſque Præfectum omnino ſpectet, atque pertineat; ita ut quæcumque Ordinationes vigore peculiaris hujuſmodi Pontificiæ Commiſſionis pro tempore factæ, a prædicta Congregatione Boni Regiminis, ejuſque Præfecto, eidem Congregationi Firmanæ dumtaxat, nullatenus autem Gubernatoribus Localibus, multoque minus Communitatibus Civitatis Firmi, ac Caſtrorum, Terrarum, & Locorum Comitatus ejuſdem, dirigantur, & dirigi debeant: Eiſdem plane methodo ratione, & forma, quæ cum S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, pro Civitatibus, Caſtris, Terris, & Locis in Provinciis eorumdem Cardinalium Legatorum juriſdictioni ſubjectis exiſtentibus, obſervantur.

Congregatio Firma ſingulis menſibus habenda.

Ut vero deinceps Civitas Firmana prædicta, ejuſque Comitatus, tam in his, quæ ad Politicum, quam quæ ad OEconomicam procurationem ſpectant, facilius & utilius gubernentur, per eaſdem præſentes volumus & mandamus præfatam Congregationem Firmanam ſemel ſingulis menſibus in Ædibus ipſius Cardinalis Præfecti omnino congregari. Ipſius autem pro tempore Secretario ſtatuimus non licere ſine ejuſdem Congregationis voto aliquam definitivam reſolutionem capere, aut ad aliquod Decretum, quod per definitivam reparari nequeat, devenire; præſertim ſi aliqua ex Partibus petat, aut profiteatur in actis: *Nihil fieri, niſi facto verbo in plena Congregatione.*

De facultatibus Secretarii.

Clauſulæ præſervativæ.

Denique ſuper controverſia ſuperius enunciata, atque a Nobis, ut præfertur, ſolemniter ac peremptorie definita (cujus ſtatum & merita a Nobiſmetipſis accurate diſcuſſa, ac Judicum, Tribunalium, & Collitigantium nomina, aliaque etiam neceſſario exprimenda, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus) perpetuum Partibus ſilentium imponimus, atque os occludimus; præſenteſque Literas ſemper firmas, validas, & efficace eſſe & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere decernimus, nec de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etim ſubſtantiali, ac formali, neceſſariamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controverſiam vocari, vel ad terminos juris reduci ullatenus unquam poſſe; Sed ſic & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinalium Congregationes, alioſque Cardinales etiam de Latere Legatos Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta irritantia.

Derogationes.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non etiam, quatenus opus ſit, dictæ Civitatis Firmanæ, & Comitatus prædicti, ejuſque Caſtrorum, Terrarum, atque Locorum, aut aliorum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtilis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, & Literis Apoſtolicis memoratis Boni Regiminis, & ſuper Conſultationibus, aliiſque S. R. E. Cardinalium Congregationibus, etiam in limine earum reſpective inſtitutionis, nec non quibuſvis aliis Tribunalibus, etiam Collegialibus, ac Perſonis, & Locis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur & inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe; ac latiſſime & pleniſſime, motu ac ſcientia prædictis, ac de poteſtatis Noſtræ plenitudine derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtri ſtatuti, declarationis, præcepti, mandati, de-

ANNO 1746.

creti, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Pont. an. VII. die 6. Sept. 1746.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. VIII. Idem Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

D. Cardinalis Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi. J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

XX.

LITERÆ

Jam editæ adverſus Confeſſarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina, confirmantur, & ampliantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Abuſus in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento inductus.

AD eradicandum pravum zizanii ſemen, quod ab adverſario generis humani in Agro Dominico ſparſum, per Luſitaniæ primum Regiones pullulare compertum fuerat, ubi nimirum apud nonnullos Confeſſarios, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, perverſa quædam & abſurda praxis, Eccleſiaſticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injurioſa, & ad avertendos Fideles ab ipſius ſalutifero uſu quammaxime tendens, introduci cœperat; pro impoſito Nobis vigilandi debito, Apoſtolicas in forma Brevis Literas direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Portugalliæ & Algarbiorum Regna atque Ditiones conſtitutis, quas deinde per alias Noſtras ſub plumbo expeditas Literas, nuper, quarto nimirum Nonas elapſi menſis Junii, confirmavimus & innovavimus, adjectis nonnullis ordinationibus & declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, ſive docentibus, irrogandas, & ad rectum, adverſus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis, & Ditionibus ſervandum, opportune expedire in Domino judicavimus.

Aliis Literis Sanctiſſimi Domini Noſtri damnatus fuit.

Earum autem Literarum, quas ad hujuſmodi erroris & abuſum reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

Sequitur integer tenor Literarum Sanctiſſimi Domini Noſtri relat. in Tom. I. Conſtit. CXXXIV. fol. 325.

Dictarum Literarum confirmatio neceſſaria.

Quoniam vero nullam Paſtoralis vigilantiæ cautelam ſuperfluam eſſe ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicie, deque ſubvertenda ſanæ doctrinæ integritate & recta Sacramentorum adminiſtratione, periculum ſubeſſe dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas eſſe pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confeſſariorum perquiſitionibus, pro inveſtigandis complicum nominibus aliiſque notitiis; juxta praxim in præinſertis Noſtris Apoſtolicis Literis relatam atque damnatam; erroneas vero quorumdam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes & applicationes, in eiſdem Literis enunciatas, aliquibus arridere; nec ſatis eliminatas reputari per ipſas præmiſſas Literas, quas, utpote ad Luſitaniæ Regnorum atque Ditionum opportunitatem accomodatas, & pro iiſdem ſolummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit.

Unde præſentibus confirmantur & ad omnes ubique locorum extenduntur.

Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa ſcientia, hujus Noſtræ generalis ſanctionis tenore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis Noſtræ plenitudine, eaſdem præinſertas Literas iterum confirmantes & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam praxim in ſe ipſa, & ubique locorum ac temporum, Apoſtolica auctoritate reprobatam atque damnatam eſſe, & cenſeri debere; nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato Noſtro Brevi contentam docere, ſcribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contraire; ſub pœnis adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a Sede Apoſtolica rejectas & condemnatas; & reſpective adverſus contrafacientes mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis ſanctionibus ſtatutis atque præſcriptis.

PONT. A. VI.

Clauſulæ pro generali, & perpetua Literarum obſervantia.

Decernentes eaſdem præinſertas, nec non præſentes Noſtras Apoſtolicas Literas, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & perpetuo fore, atque omnes ubique Terrarum cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, & tam ſæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos; alioſque etiam ſpeciali mentione dignos, afficere & arctare, ac ſuos ubique plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, exacte & inviolabiliter obſervari debere.

Derogationes.

Sicque & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, Legatos quoque de Latere, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſque quoslibet quacumque auctoritate & poteſtate fungentes, & functores, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in Univerſalibus, ſive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis cuicumque Perſonæ, ſive Ordini, Inſtituto, Societati, & Congregationi, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet clauſulis, atque decretis, etiam motu, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, in contrarium forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores prædictos pro ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis & inſertis, formaſque hujuſmodi pro plene & exacte obſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus.

De effectu publicationis, & exemplorum auctoritate.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus eaſdem per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, aliiſque conſuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ ſic publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non ſecus ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent: quodque earumdem præſentium Tranſumptis ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, ſanctionis, & voluntatis infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Pont. an. VII. die 28. Sept. 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno

PONT. A. VII.

Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI. IV. Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

D. Card. Paſſioneus.
J. Datarius.

Jo. Florius Subſtitutus.

VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi.
J. B. Eugenius

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Public. die 5. Octobris Anni 1746.

XXI.

DISTINCTIO

Inter Cauſas Rotales, & Prælatitias, ac Jura Notariorum ſcribendi, & actitandi in illis reſpective præfiniuntur: & nova methodus ſtatuitur in Auditorio Rotæ obſervanda, pro celeriori Cauſarum expeditione.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

JUSTITIÆ & pacis cuſtodes, & adſertores, non ſolum in univerſa Eccleſia Chriſti, ſed etiam in ſubjecta gubernio noſtro Republica, a Deo conſtituti, in id libenter ſtudia noſtra conferimus, ut unicuique jus ſuum æqualiter reddatur; ut negotiorum, & Cauſarum, quæ in Romana potiſſimum Curia tractantur, & agitantur, ordinatiſſima ratio conſtet; ſublatiſque rerum confuſionibus, & noxiis dilationibus, judiciales controverſiæ non minus rectum, quam expeditum curſum, & finem obtineant.

Sane, cum olim unumquodque Romanæ Curiæ Tribunal, proindeque Cauſarum quoque Palatii Apoſtolici Auditorium, ſuos proprios haberet Notarios, & dumtaxat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac ipſius Curiæ Prælati, quibus per ſpeciales Romani Pontificis Commiſſiones peculiarium Cauſarum cognitionem interdum delegari contingebat, certos ac proprios Notarios non haberet; ideoque quilibet ipſorum ad ſcribendum, & actitandum in Cauſis Commiſſariis hujuſmodi quemcumque maluiſſet Notarium pro arbitrio ſuo aſſumere

Collegium Scriptorum Archivii a Julio II. erigitur.

ſoleret; fel. recordationis Julius Papa II. Prædeceſſor Noſter per ſuam perpetuo valituram Conſtitutionem, ſub datum Kalendis Decembris Pontificatus ſui Anno Quinto, de Fratrum ſuorum tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu editam, quæ incipit: *Sicut prudens*, Collegium centum & unius Virorum, qui Scriptores Archivii prædictæ Romanæ Curiæ nuncuparentur, Apoſtolica auctoritate erexit, creavit, & inſtituit; quos quidem Scriptores voluit, & mandavit Notarios deinceps eſſe omnium Judicum Commiſſariorum in Urbe, exceptis tantummodo ejuſdem Romanæ Curiæ Judicibus Ordinariis, vel Delegatis, habentibus Notarios proprios, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quoad Cauſas coram eis vertentes, eiſque commiſſas; in quibus quilibet eorum Notarios, quos mallent, dummodo eſſent authentici, & legitime creati, eligere & deputare valerent:

Cum privativo jure ſcribendi in Cauſis Commiſſariis.

Mox etiam per alias ſuas Literas, Idibus Decembris ejuſdem Anni datas ſtatuit & declaravit, quod Judices Commiſſarii prædicti ad ſcribendum in Cauſis, & Litibus eis Apoſtolica auctoritate commiſſis, & committendis quibuſcumque, & coram eis vertentibus, prædictis Scriptoribus Notariis Actuariis omnino ut deberent, nec alios ad ſcribendum in illis coram ſe admittere poſſent.

Quod a Pio V. extenditur ad cauſas etiam Cardinalibus commiſſas.

Poſtmodum Sanctæ memoriæ Pius Papa V. etiam Prædeceſſor Noſter antedictam Julii II. Conſtitutionem confirmans, ac etiam ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales amplians, & extendens, per Schedulam ſui Motus proprii, ſub datum videlicet quintodecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui Anno quarto, propria manu ſignatam, inter alia conceſſit & ſtatuit, ut deinceps in omnibus, & quibuſcumque Cauſis coram prædictis Judicibus, etiam Cardinalibus, quomodocumque habendis & agitandis, Collegium ipſum Scriptorum Archivii Romanæ Curiæ Notarios idoneos, qui in ejuſmodi Cauſis ſcriberent, conſtituere deberet, nullique omnino ipſorum Judicum, etiam Cardinalium, alios Notarios, etiam dicti Archivii Scriptores, in Cauſis hujuſmodi pro arbitrio conſtituere poſſent; ſed eos dumtaxat aſſumere tenerentur, quos Collegium præfatum ſuo ex gremio in genere, vel in ſpecie duxiſſet eligendos.

ANNO 1746.

Et ipſi Collegio datur facultas eligendi Notarios Actuarios.

Jus ſcribendi regulatur a qualitate Cauſarum & Tribunalium.

Etſi autem ex ipſarum Conſtitutionum ſerie plane appareat, jam tunc id eſſe conſtitutum, ut jus ſcribendi, & actitandi in Cauſis, quæ Auditorio Rotæ committuntur, ad ipſius Rotæ Notarios, ut antea, pertineat; in aliis vero Cauſis quæ committuntur in Curia Prælatis, & Cardinalibus, vel etiam Congregationibus particularibus, ſcribere & actitare debeat Notarius a Collegio Archivii prædicti deputatus, quod etiam confirmatum dignoſcitur a recolendæ memoriæ Prædeceſſore Noſtro Urbano Papa VIII. qui per ſuas Literas in forma Brevis, datas die XXII. Februarii Anni MDCXXXI. Pontificatus ſui Anno octavo, auditis Partibus in Signatura ſua Gratiæ, die IV. ejuſdem menſis Februarii habita, Apoſtolica auctoritate declaravit, Cauſas pro tempore committendas Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, Prælatis, ſive cum clauſula: *Etiam extra Rotam, & abſque participatione Rotæ*, ſive abſque clauſula hujuſmodi, ſpectare ad Officium Archivii prædicti, ejuſque Notarium in illis ſcribere debere; in Cauſis vero committendis Auditoribus prædictis, etiam extra Notam, & abſque participatione Notæ, non tamen uti prælatis, jus ſcribendi eſſe penes ejuſdem Rotæ Notarios.

Sed Cauſarum pertinentia nondum certa lege ſtatuta:

Hactenus tamen nemo Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, genera Cauſarum hujuſmodi ſecernendo, conſtituit, quænam Cauſæ Auditoribus Romæ, uti Auditoribus, ſint committendæ, quæ autem aliis prædictæ Curiæ Prælatis, vel ipſis Rotæ Auditoribus, non uti Auditoribus, ſed uti Prælatis, committi poſſint. Quamvis enim, ſicut accepimus, piæ memoriæ Clemens Papa VIII. Noſter etiam Prædeceſſor hujuſmodi definitionem, & ſeparationem aggreſſus ſchedulam quamdam ſui Motu proprii ſub datum Tuſculi Kalendis Octobris Pontificatus ſui Anno decimo propria manu ſignaverit; in qua ſingula Cauſarum genera expreſſerat, quæ ad præfatum Rotæ Tribunal, privative quoad alium quemcumque Romanæ Curiæ Judicem, pertinere volebat: Hæc tamen Schedula nunquam Legis vim, auctoritatem, & efficaciam habuiſſe dignoſcitur; quum nec ſuper ea debita Literarum Apoſtolicarum expeditio ſequuta fuerit: ſed ipſa dumtaxat in Regeſtis Supplicationum Datariæ Apoſtolicæ remanſerit: Neque vero deinceps Cauſarum Rotalium a Prælatitiis diſtinctio ad præſcriptum relatæ Schedulæ, ſed juxta conſuetudinem & ſtylum Curiæ, ut antea, proceſſerit. Quinimmo quum olim, pro parte Collegii Notariorum Rotæ, ſimilis memoriæ Alexandro Papa VII. Noſtro item Prædeceſſori humiliter ſupplicatum fuerit, ut plenam executionem, & obſervantiam prædictæ Schedulæ, juxta omnem illius ſeriem, & continentiam, præcipere dignaretur; idem Alexander Prædeceſſor inſtantiam hujuſmodi rejecit, edito deſuper reſcripto: *Nihil innovari*.

Motus proprius hac de re a Clemente VIII. ſignatus.

Vim Legis, & effectum non obtinuit.

De neceſſitate hujuſmodi Legis condendæ.

Verum ex hoc ipſo, quod hujuſmodi Cauſarum diſtinctio nullius certæ legis ſtabili ordinatione firmata, ſtylo dumtaxat, & conſuetudini in prædicta Curia pro tempore vigentibus inniti conſuevit; facile adducimur, ut credamus, aliquas variationes, & innovationes, quoad ipſius diviſionis obſervantiam, ſucceſſu temporis induci potuiſſe; quum, & ſæpe alias in Signatura Noſtra Juſtitiæ, ſuper eadem obſervantia, & conſequenter ſuper competentia Tribunalium, & Judicum in Cauſis particularibus, auditæ fuerint controverſiæ, & ipſi Tribunalium, & Judicum reſpective Notarii, pro ſuo quiſque jure, & intereſſe, Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum, & Noſtram providentiam imploraverint. Noviſſime vero quum inter dilectos Filios Collegium Notariorum Cauſarum Palatii Apoſtolici ex una, & Col-

Cauſa coram Pontifice in Signatura gratiæ diſcuſſa.